

MINISTERIUM, MUNUS ET OFFICIUM IN CODICE IURIS CANONICI

SUMMARIUM: Post illustrationem terminologiarum antecedentium, Codicis Pio-Benedictini et documentorum Concilii Vaticani II usus vocabulorum «ministerium», «munus» et «officium» in Codice vigenti indagatur. Varii sensus horum verborum in hoc Codice alia quantitate et alio pondere usurpantur, quam sive in vetere Codice sive in Concilio. Etiam quando hae voces ut termini technici adhibentur, inveniuntur novitates in CIC: significatio technica verbi «ministerium», usus expressionis «munus» sensu technico-theologico, nova definitio officii. Ne tamen huiusmodi mutationes falsae interpretationi ansam praebeant, pro singulis textibus determinandum est, quonam sensu haec verba in eis applicantur. Etsi in variis significationibus haec tria vocabula idem declarant, ut termini technici minime confunduntur.

Ministerium, munus et officium sunt vocabula non parva ex parte synonyma. Ut termini technici in iure canonico, pro frequentia usus eorum, si officium excipias, sat raro adhibentur. Post promulgationem Codicis Iuris Canonici a. 1917 aliquae horum verborum sensu technico in textibus normativis Ecclesiae apparent, quem in Codice Pio-Benedictino adhuc non habebant. Aliae, quae iam antea significationem technicam in iure Codicis habuerunt, aliam vim, immo etiam aliam definitionem expressam obtinebant. In his mutationibus — ut auctores opinantur — latent quaestiones de potestate et de participatione in exercitio potestatis in Ecclesia, necnon de societate christifidelium in muneribus Christi etc. Quaestiones

igitur theologicae et practicae, quae ex. gr. possibilitatem committendi laicis functiones seu activitates publicas in Ecclesia respiciunt. Sed praeter haec puncta hodie generaliter agitata oriuntur etiam quaestiones, quae rationem ordinandi operationem publicam Ecclesiae attingunt, velut utilitas practica instituti iuridici notione officii determinati.

Ut tales quaestiones clare examinari possint, significatio horum verborum, eorumque necessitudo inter se accurate explanari convenit, eo magis, quia Coetus de coordinatione a Pontificia Commissione Codici Iuris Canonici Orientalis Recognoscendo iam firmas decisiones de usu horum terminorum tulit¹. In sequentibus igitur examinare conamur: 1) Quasnam significationes «ministerium», «munus» et «officium» in CIC habent. 2) Quam rationem haec verba in eorum diversis significationibus inter se habent. 3) Quomodo haec ratio a necessitudine horum terminorum in Codice Pio-Benedictino et in documentis Concilii Vaticani II differt. 4) Quaenam conclusiones ex his relationibus pro interpretatione Codicis dantur.

I. ANTECEDENTIA TERMINOLOGICA

1. *Codex Pio-Benedictinus*

A. *Ministerium* in Codice a. 1917 in 50 casibus invenitur², nunquam tamen in rubricis titulorum. Ex

¹ Cf. *L'operato del «Coetus de coordinatione»*, in *Nuntia* 27 (1988) 17-18, 33.

² Cf. LAUER, A., *Index verborum Codicis Iuris Canonici*, Typ. Pol. Vat. 1931, 359.

hoc parvo defectu et ex modesto numero aliquatenus colligitur hoc verbum in vetere Codice minoris ponderis esse. Prae oculis habitis dictionario RUDOLF KÖSTLER³, tractatu KLAUS MÖRSDORF de usu loquendi iuridico Codicis⁴ et praecipuis dictionariis generalibus linguae latinae⁵, tres sensus principales vocabuli opportune distingui posse censemus:

1) Ministerium in vetere Codice plerumque (in 41 ex 50 vicibus) *actionem ministrandi* significat⁶. Sic adhibetur «ministerium» etiam quando servitium vel etiam auxilium (ex. gr. iudicis vel advocati) exprimit. Hic sensus in Codice Pio-Benedictino non est technicus. Saepe quidem actionem ministrandi in Ecclesia indicat, velut «evangelicum ministerium» (can. 1347 § 2) aut «ministerium paroeciale» (can. 482), immo in expressione «sacra ministeria» functiones liturgicas, ut videtur clericorum proprias valet (can. 497 § 2), sed non est adhuc terminus technicus pro his functionibus alioquin frequenter «divina officia» nuncupatis (cf. can. 2256, 1).

³ *Wörterbuch zum Codex Iuris Canonici*, München 1927, 224, ubi distinguuntur quattuor significationes vocabuli «ministerium»: 1) «Dienst, Amt, Betätigung, Tätigkeit»; 2) «Aufgabe, Verrichtung, Dienstleistung»; 3) «(kirchlicher) Hilfsdienst»; 4) «Hilfe, Unterstützung, Beistand, Mitwirkung».

⁴ *Die Rechtssprache des Codex Iuris Canonici. Eine kritische Untersuchung* (Görres — Gesellschaft, Veröffentlichungen der Section für Rechts- und Staatswissenschaft 74), Paderborn 1937 (repr. 1967), 186-187.

⁵ Maxime *Thesaurus linguae latinae*, ed. iussu et auctoritate Consilii ab academiis societatibusque diversarum nationum electi, VIII/7, Lipsiae 1955, col. 1006-1015.

⁶ Haec significatio invenitur apud KÖSTLER, *Wörterbuch* 244, nr. 1 et 4; sed etiam poni potest sub nr. I A 1 (sed et 2) in *Thesaurus* 1007-1009.

2) Raro quidem (septies) ministerium id declarat, *quod agendum imperatur* et — iuxta *Thesaurum linguae latinae*⁷ — idem est quod munus (!) vel negotium, aut etiam officium (!) vel opus appellatur⁸. Agitur ergo de obligatione sensu obiectivo, velut in can. 54 § 1, ubi «exsecutionis ministerium» commissum pro effectu habere dicitur, quod executio denegari non potest.

3) In unico canone (can. 416), sed bis invenimus verbum «ministerium» sensu valde stricto *certi gradus dignitatis* et quidem inferioris respectu aliorum, qui officia nuncupantur⁹. In canone enim officio celebrantis ministerium diaconi et subdiaconi opponitur.

B. *Munus* in vetere Codice frequentius quam ministerium usurpatur. Invenitur enim 175 vicibus, et in aliis quinque casibus in forma «munia»¹⁰. Tres sunt eius significationes principales, quae iam a praeclaro iuris consulto Romano, PAULO discernuntur: «*munus — inquit — tribus modis dicitur: uno donum...; altero onus...; tertio officium*»¹¹:

1) *Munus donum* solummodo in paucis casibus significat, sicut in can. 1624 et 1941 § 2¹².

2) *Obligationem*, id est officium (!), onus, laborem, opus, studium hoc verbum iam crebrius indicat, et in hoc sensu idem valet, quod secunda significatio

⁷ Col. 1010, nr. I B 1.

⁸ Cf. etiam KÖSTLER, *Wörterbuch* 224, nr. 3; *Thesaurus* col. 1010, nr. I B 2 a γ.

⁹ Cf. KÖSTLER, *Wörterbuch*, 234 nr. 3.

¹⁰ LAUER, *Index* 371-372.

¹¹ D. 50.16.18 = *Corpus Iuris Civilis. I. Iustiniani Digesta*, ed. MOMMSEN, T., ⁸Berolini 1899, 857.

¹² Cf. MÖRSDORF, *Rechtssprache* 187; KÖSTLER, *Wörterbuch* 230, nr. 3; *Thesaurus* VIII/9, Lipsiae 1966, col. 1063-1065, nr. I B.

supra dicta vocis «ministerium»¹³, velut ex. gr. in can. 372 § 1, ubi de cancellario statuitur eius praecipuum munus esse acta custodire etc.

3) Tertius sensus «muneris», qui in Codice praevallet, est *gradus dignitatis* vel potius *officium* (!) aut *honor*¹⁴. In hoc sensu «munus» idem declarat ac «ministerium» in tertia significatione supra enumerata. Haec significatio principalis etiam subdividitur, quia «munus» modo *campum* actionis indicat eius, qui in aliquo ministerio est, id est officium (!) sensu generali¹⁵ sive stricto sive lato, velut in famosa definitione officii in can. 145 § 1 (vide infra), modo tantum *officia sensu lato* sumpta, quae non sunt stabiliter constituta

aut nullam participationem potestatis ordinis vel iurisdictionis secumferunt, sicut in can. 425 § 2, ubi de munere consultorum dioecesanorum agitur, vel in can. 1797 § 1, in quo de munere periti sermo fit. Etiam nonnulla officia saecularia nomine muneris in Codice veniunt: ex. gr. munus carnificis (can. 984, 7).

C. *Officium* in Codice a. 1917 vocabulum usitatissimum est. Reperitur enim numero 422 in casibus, ex quibus octies in rubricis titulorum¹⁶. Hoc factum

¹³ Cf. MÖRSDORF, *Rechtssprache* 186 («Amtspflichten»); KÖSTLER, *Wörterbuch* 230, nr. 1 («Pflicht, Obliegenheit, Aufgabe»); *Thesaurus* VIII, col. 1063, nr. I A («praevalente notione g. e. officium»).

¹⁴ Cf. KÖSTLER, *Wörterbuch* 230, nr. 2 («Amt, Dienst, Pflichten —, Aufgaben —, Wirkungskreis»); *Thesaurus* VIII, 1065-1066, nr. II A-B.

¹⁵ Cf. MÖRSDORF, *Rechtssprache* 186 («Oberbegriff für alle Kirchenämter»).

¹⁶ LAUER, *Index* 397-400.

expressionem «officium» non modo valde diffusum, sed etiam magni momenti fuisse demonstrat. Attamen auctores usum loquendi Codicis in hoc casu iure meritoque vituperabant¹⁷. Etsi officium est verbum dives in significationibus, hae significationes — saltem in Codice — in tres praecipuas reduci posse videntur:

1) *Obligatio* etiam, et quidem non raro, verbo «officium» exprimitur. In his casibus idem valet ac munus (!) in secundo aut ministerium (!) item secundo sensu supra laudato¹⁸. Speciales significationes intra ambitum huius primi sensus sunt: a) Actiones seu *opera cultus divini* in genere, quae etiam «divina officia» dicuntur (cf. can. 483). Expressio «divina officia» in iure poenali veteris Codicis habebat sensum technicum a lege definitum, nempe:

«... *functiones potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt*» (can. 2256, 1).

b) *Liturgia horarum* in genere, velut in can. 1201 § 4, aut — in forma «divinum officium» — etiam sensu adhuc magis stricto, iuxta aliam definitionem legalem in can. 413 § 2 contentam *psalmodia horarum canonicarum et celebratio cum cantu Missae conventualis*¹⁹. c) *Oboedientia* vel *executio obligatio-*

¹⁷ Cf. MÖRS DORF, *Rechtssprache* 183-184.

¹⁸ Cf. KÖSTLER, *Wörterbuch* 244, nr. 7 (et 8: «Pflicht, Obliegenheit, Verbindlichkeit, Schuldigkeit»); *Thesaurus* IX/2, Lipsiae 1968-1981, col. 519-521, nr. I A et B.

¹⁹ Cf. KÖSTLER, *Wörterbuch* 243-244, nr. 1-2; *Thesaurus* IX/2, col. 521, nr. I C.

nis. Et hunc sensum verbum solummodo semel habet, in expressione «*ad officium reducere*» (can. 1640 § 2)²⁰.

2) Secunda significatio principalis verbi, quae tamen frequentia in vetere Codice praevalere videtur, est *summa iurium et obligationum* alicui una ratione concreditorum, quae regulariter professionem vel administrationem respicit. Hoc in sensu «officium» quasi idem valet ac «munus» in tertia et «ministerium» similiter in tertia significatione supra indicata²¹. Notandum est, quod «officium» sensu generali etiam munera civilia, declarare potest (ex. gr. can. 139 §§ 2-3, 1558 § 2, 1722 § 2). Etiam intra ambitum huius sensus generalis inveniuntur significationes speciales, et quidem maxime, quando legislator verbum attributo «ecclesiasticum» ornat: a) *Officium ecclesiasticum sensu lato* secundum definitionem legalem canonis 145 § 1 est «*quoddam munus, quod in spiritualem finem legitime exercetur*». b) *Officium ecclesiasticum sensu stricto* sumptum in eodem canone sic definitur:

«munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum, ad normam sacrorum canonum conferendum, aliquam saltem secumferens participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive iurisdictionis».

De hoc sensu dicit § 2 eiusdem canonis 145, quod officium ecclesiasticum in iure talem vim habet, nisi aliud ex contextu appareat. Sed iam in canone subsequenti (can. 146) in eadem significatione stricta ipse legislator verbo «officium» nude, sine attributo «ec-

²⁰ KÖSTLER, *Wörterbuch* 244, nr. 8.

²¹ Cf. KÖSTLER, *Wörterbuch* 243-244, nr. 4-5; *Thesaurus* IX/2, col. 521-523, nr. II A et B.

clesiasticum» utitur, velut etiam aliis in locis (ex. gr. can. 148 § 2, 153 § 1, 154, 155, 156, 157, 158, 159 etc.). Huiusmodi autem usus loquendi difficultates interpretationis efficiebat propter multos alios sensus vocabuli.

3) Tertia significatio «officii» a secunda aliquatenus differens est *institutum* administrationis publicae in Ecclesia, aut coetus officialium²². Hunc sensum habet verbum, quando de Officiis Curiae Romanae agitur (can. 242-245, etc.), et incipit cum maiuscula.

2. Concilium Vaticanum II

In documentis Concilii Vaticani II haec tria verba in alia proportionem reperiuntur.

A. «Ministerium» in Concilio multo frequentius, quam in Codice Pio-Benedictino usurpatur. Adhibetur enim 148 vicibus, et quidem ter in titulis²³, de quibus una vice in ipso titulo generali Decreti *Presbyterorum Ordinis* (De Presbyterorum ministerio et vita). Significationes, quas habet, sunt similes his, quae in vetere Codice inveniuntur, cum aliquibus tamen mutationibus in earum pondere et varietate.

1) *Actio ministrandi* ut sensus primarius ministerii reperitur quidem in Concilio (ex. gr. SC 7, 3; 29, 2 et 4), sed iam non tantopere praevalet, quam in Codice Pio-Benedictino. Apparet etiam expressio specialis pro servitio vel actione Verbum Dei propagandi et praedicandi, nempe «*ministerium verbi*» (CD 15, 14; LG 26, 24; DV 24, 7; DV 25, 2; PO 4, 22; AA 6, 5; 30, 16).

²² Cf. *Thesaurus* IX/2, col. 522, nr. II B 1 b.

²³ Cf. OCHOA, X., *Index verborum cum documentis Concilii Vaticani Secundi*, Roma 1967, 303-304.

2) *Opus quod agendum est* aut *obligationem* sive «munus» in secundo et «officium» in primo sensu supra enumerato «ministerium» iam non raro declarat (cf. SC 35, 6; PO 12, 32; 14, 10; 18, 23), modo quidem classico in expressione «Deus... servandi vitam ministerium hominibus commisit» (GS 51, 14). Intra ambitum huius sensus generalis vocabulum usurpatur — raro quidem — etiam cum significatione speciali magis *operis debiti seu cultus divini*, quam actionis concretae liturgicae, cum attributo «sacrum» (cf. LG 31, 10: «*Membra... ordinis sacri... ex professo ad sacrum ministerium ordinantur*»). Attamen «sacrum ministerium» quasi ut terminus technicus quandoque alio sensu speciali, nempe *totius missionis vel servitii* aut «muneris» *personarum in sacris ordinibus constitutarum* proprii apparet (LG 21, 21; CD 6, 16; OT 19, 3 etc.).

3) Sensus tertius «ministerii», id est *gradus dignitatis* seu «officium» in secunda vel «munus» in tertia significatione, qui in Codice anni 1917 in uno tantum canone apparuit, a Concilio frequentius adhibetur. Sermo fit enim de ministerio ab ordine distincto (LG 28, 46), de ministerio sacerdotio inferiore diaconorum (LG 29, 2), necnon de variis ministeriis in Ecclesia constitutis (LG 18, 2; AG 15, 50). Immo «ministerium» una vice vim omnino specialem habet auctoritatem seu potestatem dignitatis propriam ostendentem (LG 26, 11: «*sub Episcopi sacro ministerio*»).

B. Ex tribus terminis examinatis frequentia praevallet «munus», quod in 252 casibus et in aliis 4 locis in forma «munia» adhibetur, et quidem decies in titulis, quod singum est magni momenti expressionis. Documenta, quae hoc vocabulum saepius adhibent, sunt centralia ipsius concilii: Constitutio dogmatica *Lumen Gentium*, Dercetum *Christus Dominus* et

Constitutio pastoralis *Gaudium et Spes*²⁴.

1) Etiam Concilium adhibet vocem «munus» ad *dona* indicanda (ex. gr. LG 13, 23)²⁵, sed valde raro.

2) Inter sensus huius vocis eminet *obligatio*, onus, labor, functio seu missio in genere (GS 56, 27 etc.), id est significatio secunda supra identificata (in vetere Codice), qua tamen in Concilio hoc verbum etiam ut terminus technicus theologicus usurpatur, praesertim ad indicanda tria *munera Christi*, sanctificandi nempe, docendi et regendi (cf. ex. gr. SC 7, 15; LG 12,1; 28, 12; 28,3; 28, 23; 31, 4; UR 2, 25; PO 6, 1 etc.), aut Ecclesiae muneribus Christi participantis (GS tan. 40; 58, 22; PC 10, 3; LG 12, 1; cf. LG 9-13 etc.). Saepe sermo fit etiam de muneribus Episcoporum, qui «*oves suas in nomine Domini pascunt, munus docendi, sanctificandi et regendi in eas exercentes*» (CD 11, 8-9). Presbyteri autem munera Episcoporum, immo Christi ipsius (PO 6,1) pro parte sua suscipiunt (LG 28, 35). Huius muneris a Christo Ecclesiae concreditaе, participes omnes christifideles — modo suae cuiusque condicioni congruo — facti sunt. Sed pastores Ecclesiae partem sepecialem in hoc munere habent. De munere enim pastorum Concilium etiam descriptionem peculiarem dedit:

«*Munus autem illud, quod Dominus pastoribus populi sui commisit, verum est servitium quod in sacris Litteris "diakonia" seu ministerium significanter nuncupatur*» (LG 24, 9-11).

In loco igitur citato «munus» per «ministerium» describitur. Ex hoc tamen minime colligitur ministe-

²⁴ Cf. OCHOA, *Index... Vaticani Secundi* 317-319.

²⁵ Documenta citantur cum numero linearum, sicut in indice citato OCHOA.

rium conceptum magis generalem, quam munus esse. In contextu enim de nota servitii et non dominii muneris pastorum in Ecclesia agitur. Haec notio specifica muneris pastorum clare opponitur sensui sic dicto «canonico» eiusdem verbi (id est officii vel gradus dignitatis, de quo infra sermo erit) in Notis explicativis praevis Constitutionis *Lumen Gentium* (Ne 4°, 20):

«Sine communione hierarchica munus sacramentale ontologicum, quod distinguendum est ab aspectu canonico-iuridico, exerceri non potest».

Propter haec fundamenta theologica a Concilio valde affirmata expressio «munus» aliquam profunditatem theologicam continere videtur etiam, quando onera, obligationes vel opera in Ecclesia significat, ex. gr. «munus» educandi in genere (GE 12, 15), «munus» patris et matris (GS 48, 31), «munus» coniugale (GS 48, 34), «munera» Presbyterorum (PO 13, 1) etc.

3) Tertius sensus «muneris» in Concilio, similiter ac in vetere Codice, qui idem declarat ac significatio secunda supra laudata vocis «officium» modo tamen generali sumpta, est *gradus dignitatis, officium in genere* (id est sensu latissimo et nullo modo tecnico) aut *honor*, et quidem tam in societate civili (ex. gr. GS 82, 17), quam in Ecclesia (ex. gr. PO 15, 11). In hoc sensu vocabulo Concilium utitur etiam in definitione officii, de qua infra acturi sumus. Eodem sensu officiorum sensu latissimo sumptorum *Lumen Gentium* verbo «munus» utitur, quando de laicis affirmat: *«aptitudine gaudent, ut ad quaedam munera ecclesiastica ad finem spiritualem exercenda, ab Hierarchia adsumantur»* (LG 33, 19-21).

C. De notione «officii» in documentis Concilii plures tractaverunt. Sufficiat remittere ad elegantes elucubrationes professoris OLIS ROBLEDA²⁶, qui specialiter de nova definitione novoque sensu tecnico verbo a Concilio dato egit. Textus enim Concilii «officio» rarius, quam expressione «munus» utuntur, ad summam 247 vicibus, ex quibus semel tantum in titulo²⁷.

1) Sensu *obligationis* vel operis praescripti «officium» in Concilio saepe usurpatur, adeo ut haec significatio omnes alias frequentia longe superat. Obligationem in genere enuntiat «officium» maxime, sed non solummodo, in expressionibus, velut «officia et iura» (GE 3, 17; 3, 21; 6, 8; DH 6, 4; cf. GS 87, 14), «officium et ius» (GE 6, 1; AA 8, 18; DH 3, 7; cf. GS 65, 17), «officium est» (AG 1, 6), «officio teneri» (AG 36, 3), «officio a/d/stringi» (DH 14, 19; GS 60, 22), «officio obstringi» (GS 75, 18), «officium incumbit» (AG 5, 14; 6, 39; GS 79, 38) etc., sed pluries etiam sine ullo attributo (ex. gr. GE 3, 26; 5, 12).

Sicut in vetere Codice, intra ambitum huius significationis generalis adsunt casus, et quidem multo saepius, quam in Codice, quando hoc verbum etiam nude (ex. gr. SC 88, 1; 89, 1), sed praesertim in forma «divinum Officium» (ex. gr. SC 90, 3; 98, 2; 98, 5; 99, 1; 100, 3; 101, 1 etc.), cum maiuscula, vel etiam cum minuscula (PC 9, 13), sensu magis speciali *functiones* (debitas) *praescriptas cultus divini* valet. Sed hic sensus non est idem, qui definitus erat in iure poenali

²⁶ *Notio officii ecclesiastici in Concilio Vaticano II*, in *Periodica* 58 (1969) 175-179 (= *Quaestiones disputatae iuridico canonicae*, Romae 1969, 132-150).

²⁷ Cf. OCHOA, *Index... Vaticani Secundi* 339-341.

Codicis (id est omnes actus cultus publici cum exercitio necessario potestatis ordinis), nec qui in canone 413 § 2 definitus est (id est horae canonicae et Missa conventualis simul), sed tantummodo *liturgia horarum*, ut saepissime in Constitutione *Sacrosanctum Concilium* (SC tan. 83; 83, 8; 84, 1; 87, 1; 87, 4 etc.), sed et alibi (PO 13, 32; cf. OT 8, 9 — cum minuscula).

2) Secundum sensum, nempe *gradus dignitatis* vel summae iurium et obligationum, maxime in administratione, alicui concreditorum «officium» in Concilio rarissime habet. Attamen Concilium hac expressione utitur etiam in *sensu stricto veteris Codicis* (ex. gr. LG 24, 17: «*Episcopi in officium assumi nequeunt*»; CD 27, 1: «*Eminens in Curia dioecesana est officium Vicarii Generalis*»; 28, 9: «*in officiis vel beneficiis conferendis*»; 31, 10-11: «*Parochi... gaudeant stabilitate in officio*»; 31, 17-18; PO 20, 24; 20, 27). Maximi tamen momenti erat nova definitio Concilii de *officio ecclesiastico* sensu technico sumpto cum intentione veterem definitionem technicam excludendi concepta²⁸, nempe: «*Quodlibet munus stabiliter collatum in finem spiritualem exercendum*» (PO 20, 29-30).

Ut auctores prae oculis habitis contextu et historia textus Decreti *Presbyterorum Ordinis* recte adnotaverunt, in hac definitione Patres voluerunt adhibere notionem officii sensu lato²⁹ sumpti can. 145 Codicis

²⁸ Cf. ROBLEDA, *Notio officii* 138.

²⁹ Cf. *Acta Synodalia Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II*, III/IV, Typ. Pol. Vat. 1974, 240 (Relatio de singulis propositionibus. De propositione N. 10: «*Officia deinceps intelligenda sunt quaelibet munera stabiliter collata in finem spiritualem exercenda, in iure enim Codicis Iuris Canonici officia sensu stricto illa tantum sunt munera stabiliter collata [sic!], quae aliquam secumferunt participationem potestatis ecclesiasticae sive ordinis*

anni 1917, et excludere sensum strictum et antea technicum, necnon reliquere systema beneficiale. Summa summarum: 1) Nova definitio per se non excludebat beneficia, nec retroactive mutavit sensum canonum Codicis Pio-Benedictini³⁰. 2) Aperuit possibilitatem *officia ecclesiastica nominandi* munera, quae laicis³¹ committi possunt, immo hanc terminologiam praescripsit. 3) Differentiam inter officia, quae sacri ministri adimplere debent, et alia Concilium minime regavit³². 4) Notio conciliaris officii non est eadem ac notio officii in can. 145 veteris Codicis sensu lato sumpti, quia non mere «quodlibet munus quod in finem spirituales exercetur» significat, sed etiam elementum stabilitatis continet. 5) Stabilitas officii sensu conciliari sumpti est stabilitas *collativa* («stabiliter collatum») et non stabilitas *constitutiva* (obiectiva), ut in officio sensu stricto sumpto veteris Codicis («stabiliter constitutum»)³³.

sive iurisdictionis "can. 145": votum ergo exprimitur ut latius accipiat officium»). Ut videtur differentia inter stabilitatem collativam et constitutivam officii haud expresse affirmabatur, immo relator etiam in definitione veteris Codicis stabilitatem collativam videt.

³⁰ Cf. MOSIEK, U., *Verfassungsrecht der Lateinischen Kirche. Band I. Grundfragen*, Freiburg 1975, 107-110. 112.

³¹ Cf. ex. gr. DANEELS, F., *De subiecto officii ecclesiastici attenta doctrina Concilii Vaticani II* (Analecta Gregoriana 192), Roma 1973, 85-86; ROBLEDA, O., *Iurisdictio-officium ecclesiasticum*, in *Periodica* 59 (1970) 684.

³² Cf. LG 33, 19-21, ubi de laicis dicitur: «*aptitudine gaudent... ad quaedam munera ecclesiastica ad finem spirituales exercenda*» (emphasis mea). Haec tamen munera, si stabiliter conferuntur, secundum definitionem in PO 20 enuntiatam, iam officia sunt.

³³ Hae tamen duae stabilitates diversae sunt, sed non adversae. Stabilitas collativa latum subiectivum respicit, stabilitas vero constitutiva officium sensu obiectivo sumptum, id est mensuram

Nova notio technica conciliaris varia problemata etiam pro revisione CIC secum tulit, de quibus O. I. S ROBLEDA perspicue adnotavit:

«Labor ... erit in statuendis collationis disparium officiorum requisitis: quoad auctoritatem competentem, habilitatem candidatorum — maxime cum nunc etiam laici in quaestionem veniant —, actum concessionis, incompatibilitatem eorum, etc. et in definiendo regimine etiam diverso ipsius exercitii officiorum diversorum... ac determinatis casibus et modo amissionis eorundem»³⁴.

Quomodo novus Codex his exigentiis satisfecit, infra videbimus.

3) Notandum est, quod Concilium, nominatim Decretum *Inter mirifica*, vocabulum «officium» in tertio eius sensu, id est *instituti seu organi administrationis* publicae vel coetus officialium non minus frequenter, quam vetus Codex adhibet, et quidem cum littera initiali maiuscula (IM 19, 3; 21, 2; 21, 4; 21, 9; 22, 4; 23, 3).

II. CODEX VIGENS

1. Ministerium in CIC

«Ministerium» in Codice vigenti 70 vicibus (ex quibus semel in titulo)³⁵, id est saepius, quam in

functionum considerat. Cf. ROBLEDA, *Notio officii* 150, nt. 45 (*«Potuisset Concilium absque dubio officium etiam obiective definire. Non fecit, tamen, quia voluit officium solum concretum, existens in rerum natura solum definire; officium vero, prout seu quod in rerum natura existit, non est munus conferendum, sed collatum»*).

³⁴ ROBLEDA, *Notio officii* 145.

³⁵ OCHOA, X., *Index verborum ac locutionum Codicis Iuris Canonici*, Roma 1983, 256-257.

vetere Codice, sed multo rarius, quam in textibus Concilii invenitur. Hoc factum aliquatenus explicatur ex natura ipsius Codicis, qui documentum legislativum esse debuit. Divisio et proportio variorum sensuum vocabuli similes sunt ac in Codice Pio-Benedictino cum parva variatione.

1) *Actio ministrandi* remanet significatio principalis. Reperitur in 57 ex 70 casibus. Attamen in ambitu huius significationis generalis apparent *novi sensus speciales*, quibus Concilium iam libenter usitabatur. Tales sunt: a) *ministerium verbi* (in 9 casibus); b) *ministerium sacrum* (15 vicibus). Haec secunda expressio sensu iam quasi technico *activitatem sacrorum ministrorum* seu ordine sacro insignitorum indicare videtur (cf. ex. gr. can. 233 § 2), et quidem totam activitatem propriam et non solummodo liturgicam (cf. can. 249, 256 § 1), licet aspectus culticus huius functionis in hac expressione necessario accentum recipiat (cf. can. 1722: «*a sacro ministerio vel ab aliquo officio*» — ubi «sacrum ministerium» facile «divina» enuntiare potest; cf. can. 1956 CIC 1917). Immo nonnunquam «sacra ministeria» *actus cultus divini* valere videntur (can. 611 § 3). *Ministerium sacrum* in Codice saepe ex fontibus conciliaribus provenit³⁶, et in can. 232 expressioni «ministerium ecclesiasticum» veteris Codicis, in canone vero 237 § 1 formulae «status clericalis» (!) substituitur. Nonnunquam etiam in canonibus invenitur, quorum ne fontes conciliares quidem his verbis usi sunt (cf. can. 256 § 1: «*in iis quae peculiari ratione ad sacrum ministerium spectant*», cuius fons — OT 20 — di-

³⁶ Cf. *Codex Iuris Canonici, auctoritate Ioannis Pauli PP. II promulgatus, fontium annotatione et indice analytico-alphabetico auctus*, ed. Pontificia Commissio Codici Iuris Canonici Authentice Interpretando, Città del Vaticano 1989, passim.

cit: «*in arte catechetica et homiletica exercenda*»). Cum alio attributo, in formula «ministerium pastorale», verbum totam activitatem pastoris exprimit, et quidem latum dynamicum eiusdem extollens. In can. 551 de *ministerio pastoralis* agitur loco *paroecialis officii*, de quo in vetere canone, fontem novi constituenti sermo fuit. *Ministerium* etiam quandoque indicat operam vel activitatem (sed forte in quibusdam locis iam munus) Christi (can. 519) vel Ecclesiae (can. 618, 654, 1025 § 2) aut sacerdotis (can. 889 § 1). Inter fontes tamen canonum vocem hoc modo adhibentium textus Concilii praevalent³⁷.

2) In sensu generali muneris, negotii, operis, *quod agendum imperatur*, id est *obligationis* (sensu praesertim obiectivo), ministerium sat raro, circa 7 vicibus usurpatur. Sed expressiones sub numero praecedenti allegatae non semper sunt clarae. Plus quam semel remanet incertum, an in casu de ipsa actione vel de opere agendo sermo fiat (ex. gr. in casibus supra dictis, ubi de ministerio Christi, Ecclesiae, sacerdotis theologie mentio fit).

3) Tertius sensus ministerii, *gradum dignitatis* (maxime inferiorem) aut *officium ministrandi* exprimens in novo Codice sexies, id est saepius, quam in praecedenti apparet. Immo ex his in 4 casibus verbum significationem omnino novam et technicam habet, et quidem *gradum servitii liturgici stabiliter collati lectorum et acolythorum* (can. 230 § 1-bis, 1035 § 1, 1050, 3) indicat. Fons horum canonum est motu proprio *Ministeria quaedam* (15 aug. 1972, nr. II)³⁸, in quo hi gradus loco ordinum minorum constituuntur.

³⁷ Cf. *CIC fontium adnotatione* passim.

³⁸ AAS 64 (1972) 532 («*Ordines, qui hucusque minores vocabantur, "ministeria" in posterum dicendi sunt*»).

2. *Munus in CIC*

Vocabulum «munus» in novo Codice paulo frequentius, quam in vetere, sed multo rarius, quam in Concilio reperitur (189 vicibus, ex quibus ter in titulis, quorum duo sunt tituli librorum III et IV ipsius Codicis)³⁹. Hoc modo, etsi «munus» in textu non tam diffusum est, quam in Concilio, functionem tamen centralem habet.

1) *Donum* hoc verbum in Codice haud significare videtur.

2) *Obligationem* vel singulos *actus debitos* «munus» sat raro et fere nunquam clare exprimit (can. 364: «*munus est*»; can. 482 § 1, 502 § 1, 1333 §§ 1, 3: «*munera officio inhaerentia*»; cf. can. 775 § 3, 1733 § 2: «*munus sit*»)⁴⁰. Sed sicut in Concilio, etiam in novo Codice «munus» intra limites huius secundi sensus principalis, haud raro etiam significatione speciali, theologica trium munerum Christi (can. 204 § 1) et Ecclesiae (tac. 747; tac. 834) apparet (cf. can. 375 § 2, 519). Cum hoc sensu connectuntur loci, in quibus legislator de «munere» Petri (can. 331) aut Romani Pontificis (can. 332 § 2, 333 §§ 1-2, 334) loquitur. Hic sensus specialis obligationis obiectivae practice iam coalescit cum tertio sensu «muneris» gradum dignitatis seu summam iurium et onerum obiective sumptam exprimenti.

3) Valde clara est in Codice propensio vocabulo

³⁹ OCHOA, *Index...* CIC 264-266 additis can. 652 § 5 et 1454, in quibus loco officii de munere sermo fit.

⁴⁰ Cf. ERDŐ, P., *Expressiones obligationis et exhortationis in Codice Iuris Canonici*, in *Periodica* 76 (1987) 19; URRUTIA, F.J., *La obligación de la ley eclesiástica*, in AA.VV., *Estudios canónicos*, Salamanca 1988, 122-123, nt. 7.

«munus» praeter significationem specialem supra indicatam (obligationis obiectivae theologice sumptae) quasi tantummodo in hoc tertio sensu utendi, id est in sensu officii latissime sumpti seu complexus functionum (obligationum et iurium)⁴¹. Sic munus iam re vera pro *notione magis generali iuris de officiis* et servitiis vel ministeriis tractantis haberi potest. Indicare potest vera officia etiam in sensu stricto veteris Codicis (cf. can. 1747 § 1: «*munus parochi*») aut sensu technico vigentis Codicis (can. 253 § 1: magistri; can. 367: Legati; can. 425: Administratoris dioecesanis; can. 1428: auditoris)⁴², vel etiam vetere sensu lato concepta seu non stabilia, sed temporaria aut per occasionem existentia, velut munus lectoris aut commentatoris (can. 230 § 2), immo et saecularia (can. 225 § 2). Ut terminus generalis «munus» etiam *opponitur officio*, velut in distinctione: «officia ecclesiastica et munera» (can. 228 § 1).

3. *Officium in CIC*

Sicut in Codice Pio-Benedictino (sed aliter atque in Concilio, ubi «munus» frequentia superavit «officium»), etiam in Codice vigenti «officium» ex tribus vocabulis investigatis frequentia primum locum occupat. Invenitur enim in 270 casibus⁴³, ex quibus in 5 in

⁴¹ Cf. URRUTIA, F.J., *De normis generalibus. Adnotationes in Codicem: Liber I*, Romae 1983, 99.

⁴² Haec munera plerumque ut vera officia considerantur, etsi ex ipsa eorum natura per longum vacare possunt; cf. MOSIEK, *Verfassungsrecht I*, 111 («*Es gibt vielmehr eine Reihe von Kirchenämtern, die durchaus als solche im engeren Sinn anzusehen sind, obwohl sie ihrer Natur nach lange Zeit hindurch vakant bleiben... wie die Ämter des Kapitelsvikars*»).

⁴³ Cf. OCHOA, *Index* 286-288 demptis can. 652 § 5 et 1454, in quibus textus promulgatus iam non de officiis, sed de muneribus

titulis. Sed differentia inter numerum locorum, ubi legislator verbo «officium» utitur et eorum, in quibus vocem «munus» adhibet, minor est, quam in vetere Codice. Sensus fundamentales iidem manserunt atque antea, exceptis sensibus technicis, qui nec cum vetere Codice, nec cum Concilio stricte congruunt.

1) Sensus *obligationis* vel operis debiti «officium» 80 vicibus inveniri videtur, ex quibus saepe in formulis «officium et ius» aut «ius et officium» (can. 789, 793 § 1, 794 § 1, 810 §§ 1-2 etc.), «officio teneri» (an. 1287 § 1, 1430 etc.), «officio adstringi» (can. 225 § 2, 540 § 1), «officio obstringi» (can. 510 § 2)⁴⁴. Significationem specialem in vetere Codice existentem *actionis liturgici* tantummodo in can. 556 invenimus, et quidem in formula e vetere can. 479 (CIC 1917) transsumpta. Expressio «Officium Divinum» (aut «divinum officium») in vetere Codice et in Concilio diversis sensibus technicis usitata, significationem technicam omnino perdidit et e textu eliminabatur. Alius sensus specialis *debitum sese gerendi modum* declarans e vetere can. 1640 § 2 (CIC 1917) in can. 1470 § 2 conservatus est («*congruis poenis ad officia reducere*»)⁴⁵. Etiam in formula «officium proprium» (can. 235 § 1, 236, 529 § 1, 773) «officium» obligationem indicat.

2) Significatio principalis, quam «officium» in Codice habet, est *gradus dignitatis* vel *summa iurium et obligationum alicui una ratione conceditorum* seu

loquitur, quia in eis non de officiis sensu technico sumptis sermo fit.

⁴⁴ Cf. ERDŐ, *Expressiones obligationis* 18.

⁴⁵ *Codex des kanonischen Rechtes. Lateinisch-deutsche Ausgabe*, ²Kevelaer 1984, 647 («zu einem gebührenden Benehmen anhalten»).

munus in sensu aliquatenus speciali. Ad summam 185 vicibus verbum hanc vim habet. Legislator plus quam semel hoc vocabulum generatim sumens *officiis saecularibus* applicat (can. 285 §§ 3-4, 289 § 2). Fontem horum locorum vetus Codex constituit⁴⁶.

Haec significatio generalis apparet etiam in expressione «ex officio», valde usitato. Sed longe praevalent casus, in quibus «officium» novum sensum technicum habet, qui novo can. 145 § 1 definitur:

«Officium ecclesiasticum est quodlibet munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum in finem spiritualem exercendum».

Nova igitur notio officii, ut notum est, differt a sensu stricto veteris Codicis, in quantum nullum exercitium potestatis ordinis vel iurisdictionis requirit. Differt etiam a conceptu conciliari, quia elementum stabilitatis *constitutivae* et non tantum *collativae* continet⁴⁷. Re vera, administratio publica officiis stabiliter constitutis haud renuntiare potest. Codex vicens distinguit inter officia plena cura pastoralis et proinde ordinatione sacerdotali indigentia et alia (laicalia...). Etiam notam publicam officii extollit, in quantum de divina vel ecclesiastica constitutione lo-

⁴⁶ Cf. *CIC fontium annotatione* 81-82.

⁴⁷ Non defuerunt qui putaverunt definitionem conciliarem futurum legislatorem minime obligare, cf. SOUTO, J. A., *La noción canónica de oficio*, Pamplona 1971, 94-95. Alii affirmaverunt quod stabilitas collativa officium iam obiective constitutum supponit, cf. ROBLEDÁ, *Iurisdictio-officium* 665; PETRONCELLI, M., *Polemiche sulla nozione di ufficio ecclesiastico e gli insegnamenti del Concilio Vaticano II*, in *Liber Amicorum Monseigneur Onclin*, ed. LINDEMANS, J.-DEMEESTER, H. (Bibliotheca Ephemeridum Theologicarum Lovaniensium 42), Gembloux 1976, 315.

quitur. Notandum est quod definitio, «*officium ecclesiasticum*» respicit («*officium*» cum hoc attributo, semper sensu tecnico in can. 145 § 1 definito in 24 casibus invenitur), sed etiam in Codice adsunt loci, ubi «*officium*» nude, sine attributo idem valet (cf. can. 1457 § 1 et passim). Item notandum est, quod e proportionem variorum sensuum vocabuli in Codice eruitur legislatorem saltem in campo structurarum administrationis vel functionum publicarum novam significationem technicam exclusive adhibere conatum esse. Hunc serium conatum demonstrat, quod in ultimo articulo revisionis in aliquibus canonibus ex Schemate «*officium*» erasum est, et loco eius «*munus*» scribebatur (ex. gr. can. 652 § 5, 1454). Sed ut vidimus, «*officium*» est nomen nimis plenum significationibus diversis, et sic tamquam terminus technicus modo absoluto et exclusivo haud introduci potuit.

3) Tertius denique sensus «*officii*», id est *institutum administrationis publicae* ut structura obiectiva in 5 casibus adhibetur, et proinde momento non differt ab applicatione huius significationis in vetere Codice et in Concilio. Littera tamen initialis in his casibus non est maiuscula, ut antea (cf. can. 451⁴⁸, 775 § 3, 173 §§ 2-3).

⁴⁸ Verbum in contextu organum conferentiae Episcoporum declarare constat (cf. ex. gr. *Codex des kanonischen Rechtes* 205: «*Ämter*»; *The Code of Canon Law in English translation*, prepared by The Canon Law Society of Great Britain and Ireland in association with The Canon Law Society of Australia and New Zealand and The Canadian Canon Law Society, London — Sydney 1983, 81), etsi aliquae translationes alium sensum vocabulo attribuire videntur (*Code de droit canonique. Texte officiel et traduction français*, par la Société internationale de Droit canonique et de Législations religieuses comparées, Paris 1984, 82: «*fonctions*»).

Conclusio

Visis significationibus principalibus «ministerii», «muneris» et «officii» earumque inter se ratione aliquam evolutionem terminologiae a Codice Pio-Benedictino usque ad Codicem vigentem repperimus. Etsi sensus principales fere iidem manserunt, intra eorum ambitum immutationes in sensibus specialibus observari possunt:

1) Deserta est notio divini officii in variis eius sensibus tam in vetere Codice, quam in Concilio adhibitis.

2) Mutata est notio technica officii, et quidem a Concilio et postea iterum in novo Codice.

3) Introducinga est nova notio theologica muneris (cum diversis variationibus), quae in ambitu sensus generalis *obligationem* valentis specialem significationem in Concilio et in novo Codice constituit.

4) In novo Codice relictus est usus substantivi «munus» pro donis.

5) In novo Codice sat sepe et exacte adhibita est notio specialis *sacri ministerii* pro actionibus ministrorum sacrorum.

6) Vox «ministerium» — hoc sensu in Concilio nondum usitata — in novo Codice nonnunquam significationem technicam servitii stabilis acolythorum et lectorum habet.

In relationibus et necessitudine horum terminorum inter se progressus in novo Codice observari potest. Etsi disciplina terminologica loquendi nondum perfecta est, *munus* iam cum paucis exceptionibus, quasi semper opus agendum in genere (nonnunquam tamen cum nota speciali theologica) aut summam iurium et obligationum alicui una ratione conceditorum declarat; *officium*, saltem in suo sensu iam

magis diffuso, speciem huius generis indicat. *Ministerium* in sua significatione longe praevalenti actionem ministrandi valet (licet hic sensus ab opere agendo non semper facile distinguatur), et propterea magis functionem vel actionem respicit, quam «munus», et non raro relationem intimam cum sacramento ordinis habet.

Problema iuridicum provenit maxime ex nova notione officii. Etsi hodie officium ecclesiasticum sensu technico munera in finem spirituales exercenda divina vel ecclesiastica institutione stabiliter constituta tam exercitium sacri ordinis postulantia quam amia significat, regulae constitutionem, collationem, amissionem et exercitium officiorum ordinantes eadem sunt pro omnibus officiis. Ordinatio igitur diversificata variorum generum officiorum, quam OLIS ROBLEDA tempore suo pro necessario habuit, non erat introducta, si excipis normam iuxta quam ad obtinenda officia exercitium ordinis sacerdotalis requirentia (nominatim plenam curam animarum secumferentia) tantummodo personae in eodem ordine constitutae habiles sunt (can. 150). Condiciones habilitatis pro pluribus officiis concretis in Codice indicantur. Nobis tamen videtur, quod omissio duplicae ordinationis officiorum, laicalium nempe et clericalium, consideranda est signum magis sapientiae, quam negligentiae legislatoris. Si enim duo genera officiorum nihil communi haberent nisi merum nomen «officii», iam non ageretur de reformatione iuridica seu disciplinari unius instituti, sed tantummodo de mutatione nominali vel de creatione novi instituti vetere integre conservato.

Differentiam theologicam inter munera stabilia cum exercitio sacrorum ministeriorum connexa et alia norma supra dicta de inhabilitate iam quasi sufficien-

ter defendere apparet. Adest autem aliud problema, quod aliquo modo difficultatibus ab OLIS ROBLED A et a diversis auctoribus hodiernis novum Codicem interpretantibus, ex. gr. a GEORG MAY⁴⁹ sublevatis assimilatur. Habetur enim re vera quaedam incommoditas in applicanda ordinatione unica, et quidem antea plerumque pro officiis sensu stricto sumptis concepta, in casu aliquorum officiorum. Haec tamen officia non sola laicalia sunt, neque omnia laicalia sunt talia, sed officia, quae iis personis comittuntur, quae sese nondum plene, principaliter et definitive servitio ecclesiastico dedicaverunt. Problema igitur est minus theologico-iuridica, quam practico-iuridica seu iuridico-sociale. Religiosis utriusque sexus etiam antea applicabantur multae normae ex iure officiorum provenientes. Aliis vero plerumque laicis sed etiam diaconis permanentibus sive uxoris sive non, si *laborem principalem saecularem* habent, varia iura et obligationes quoad officia et remunerationem etc. non applicantur (cf. can. 281 § 2; 1274; 152). Liber V autem Codicis praescribit de contractibus (etiam laboris) normas iuris civilis servare, nisi haec statuta «*iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur*» (can. 1290). Differentia practica ergo existit inter: 1) officia personis plene et definitive servitio ecclesiastico deditis concredita; 2) officia ab aliis personis titulo gratuito etsi «pleno tempore» recepta; et 3) officia talibus personis contractu civiliter valido commissa. Aliqui ordines iuris saeculares primum genus officiorum pro *relatione laboris ecclesiastica* censent et multis legibus iuris laboris eximunt. Pro secundo et tertio

⁴⁹ *Das Kirchenamt*, in *Handbuch des katholischen Kirchenrechts*, Hrsg. LISTL, J.-MÜLLER, H.-SCHMITZ, H., Regensburg 1983, 142.

generibus ius variarum Ecclesiarum particularium normam vel saltem usum habet ea munera simplicitatis gratia non ut officia erigendi, vel forte pro aliquibus punctis disciplinae talium munerum ad leges civiles remmittendi, si cum canonibus non sunt contrariae, proprietatibus servitii ecclesiastici, maxime ad finem spiritualem exercendi, semper religiose servatis.

Novis investigationibus indigere videtur quaestio, quibusnam modis aliquis sese definitive et principaliter operibus ecclesiasticis dedicare potest. Desiderandum esset etiam studium comparativum de ordinatione laboris in legislationibus particularibus eiusque relatione cum instituto iuridico officii.

PÉTER ERDŐ